



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 3. Qualitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

*Euonicus* est; & Plinius eiusdem Germanici sinus partem appellat *Sinum Lagnum*, scilicet ad Insulam *Langeland*. Postmodum ab Hermoldo, & Adamo Bremensi Balticum denominatur, nempe à *Baltia* Insula, de quâ in Scandiâ, cuius fauces inter Cymbri-  
cam Chersonesum, & Nerigonem ab iisdem assignantur.

### §. 2. *Quantitas.*

SCANDIA Xenophonti Lampfaceno apud Plinium dicitur *magnitudine immensa, & penè similis continenti*. Solino *Germanicarum Insularum Maxima*, aliàs *Britannicarum*, & meliùs. Apud Ptolemæum supra modum, & veritatem restringitur, ei enim longitudinis tres tribuuntur gradus sub gradu latitudinis 58. qui tantum reddunt 92691 passus, seu 737 stadia circiter. Procopius autem lib. 2. Belli Gothici decies maiorem Britannia facit.

FENINGIA non minor opinione creditur ipsâ Scandinaviâ: Ita Plinius.

### §. 3. *Qualitas.*

PROCOPIVS loco laudato, vbi sub falso Thules nomine describit Scandiam, hic solem ait existere supra terrâ diebus 40. quemadmodum & postea totidem latere Sed in tēpore turpiter aberravit, cum ait id contingere circa extremum æstatis & dum vergit in Autumnum & circa hyemis postrema, cum in utroque Solstitio dicere debuerit. Et cum Sol tandiu latet timere indigenas ne Solem perdant, nec repetitam experientiam abstergere timorem, ideoque mittere speculatorem in montes qui Solis reditum annunciet, qui multa cum voluptate recipitur.

### §. 4. *Mores.*

SCRITHIFINORVM mores sic depinguntur à Procopio lib. 2. Bel. Gothici. Belluarum in morem vitam degunt: toti sunt in venationibus, agros nusquam colunt: carne tantum vescuntur, & ferarum pelles quas nervis consuunt sibi aptant inconcinne. Pueros lacte non nutriunt, sed medullis, & cerebellis animantium. Puerpera foetum enixa eum suspendit ex arbore in pelle ferinâ, &